aliàs ſemper & ubique eſſet cauſa Ebrietatis, etiam unici alicujus hauſtus, præterea non poculum hauſtum, ſed vinum immodicè aſſumptum eſt cauſa Ebrietatis, aliud autem votum additum, aliud ipſius vini uſus, aliud immoderata bibitio, fingamus aliquem onerare ventrem dapibus, ut quidem factum memini à Legato Regis Angliæ excipientis Ratisbonæ Legatos Principum Imperii, in perſuadendo adhibere hunc modum, ut dicat vel hunc aut iſtum ſuperſtitem bolum eſſe comedendum in ſalutem hujus vel illius, in ſanitatem hujus vel illius Principis aut Amici, ſanè non tam hoc erit in vitio, quam illa cibi immodicè ingerendi ratio, nec cur aliquis panticibus ſuffartis diſcedat, cauſa erit adjunctum illud Motivum, quam ipſe nimius ciborum Appetitus & Uſus. *Tertiò* dicimus ſi ſcandaloſi hauſtus interveniant, qui ſeducant vel triſtitia afficiant, conſcientiam utique vulnerari, adeoque abſtinendum hic eſſe, nec non ſi nugaces ritus dominentur, quanquam non videamus, quomodo vel genuflexio, vel capitis Denudatio ad Mentionem factam Illuſtris perſonæ ſit in vitio, & non potius ad Morum Civilitatem referenda. Unde non malè *Nicolaus Hemingius* in Paſtore Evangelico ita: Quid de Philotheſiis & Symperiphoris ſentiendum? philotheſias, quæ ſunt, cum in amicitiæ ſignum præbibimus alicui, ac deinde poculum porrigimus, laudo: modo exhauriendum nemo cogatur. Neque Symperiphoras, cum ordine dicitur, canitur, bibitur, in honeſto Convivio reprehendendos judico; modo Convivæ maneant intra Modeſtiæ terminos.

CAPUT XVI.

DE TENTATIONIBUS.

An per Conſcientiam DEO poſſit tribui Tentatio?

Tentatio Ebraicè מסה, Græcis πειρασμὸς, deſcendit à radice נסה probavit; experimentum ſumpſit, & πειράζω h. e. periculum facio de diverſis diverſimodè prædicatur. Tribuitur enim DEO Gen. 22 v. 1. *Tentavit DEUS Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham.* Deut. 13. v. 3. *Tentat vos Dominus DEUS veſter, ut palam fiat, utrum diligatis*